



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**DN. DVRANDI|| à Sancto Portiano, in Senten=||tias  
Theologicas Petri Lombardi|| Commentariorum libri||  
quatuor.||**

**Durandus <de Sancto Porciano>**

**Antverpiæ, 1567**

Quæstio secunda. Vtrum aliqua pura creatura potuerit satisfacere pro  
natura human.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72607](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72607)



dos, obtulit seipsum deo in hostia & precium nostrae libe-  
rationis, & addit q̄ pater tradidit eum, & ipse seipsum, &  
Iudas & Iudaei, Pater quia voluitate eius Christus passus  
est, Ipse qui etiā passus est, quia voluit, Iudas qui eū prodi-  
dit, Iudaei, quia procurauerunt eius mortē, vnde vnum fa-  
ctum fuit à praedictis omnibus. I. mors Christi, sed volun-  
tates fuerunt diuersae, quia voluntas patris & Christi fuit  
bona & ex bona intentione, voluntas autē Iudae & Iudaeo-  
rum fuit mala, & ex mala intentione. Et ideo nō dicuntur  
bene fecisse, licet passio Christi quam procurauerunt fue-  
rit bona. Et in hoc terminatur &c.

QVÆSTIO PRIMA.

Vtrum humana natura debuerit reparari  
per satisfactionem.

Tho. 3. q. 1. ar. 2. ad. 2. & q. 48. ar. 2.

**C**IRCA distinctionem istam primò quaeritur, vtrū  
natura humana debuerit reparari per satisfactionē.  
Et videtur quod non, quia conueniens est quod ille  
qui iniuste detinet per superioris potentiam spoliatur, sed  
diabolus qui per fraudem suam hominem deceperat eum  
iniuste detinebat ergo conueniens fuit q̄ Christus diabo-  
lum per potentiam spoliaret absq̄ aliqua satisfactione.

2. Item sicut in opere creationis manifestatur diuina  
potentia, ita in opere humanae reparationis maximè ma-  
nifestatur diuina misericordia: sed maioris misericordiae  
est peccatum absq̄ poena satisfactoria dimittere quam sa-  
tisfactionem expetere, ergo natura humana absq̄ vlla sa-  
tisfactione debuit reparari.

3. **I**N Contrarium est quod dicitur Ioan. 3. Exaltari  
oportet filium hominis vt ois qui credit in ipsum nō pere-  
at, & ad Heb. 2. decebat saluti autorem per passionē con-  
summari, ergo oportuit Christum pati vt sic satisfaciēdo  
pro peccatis nostris naturā humanam repararet, & argui-  
tur per rationem, quia secundum Augu. tanta debuit esse  
humilitas in redemptore quanta fuit superbia in prodi-  
tore, sed proditor voluit ascendere vsq̄ ad summum dei  
secundum illud Gen. 3. Eritis sicut dii, ergo redemptor  
debuit descendere vsq̄ ad infimum hominis, hoc autē  
est mors, ergo per mortem redemptoris debuit natura  
humana reparari.

102. d. 17.  
q. 2. ar. 9.

4. **R**ESPONSIO. Duplex est debitum, quoddam  
obligationis, & aliud solius congruitatis, loquendo de  
debito obligationis, Dicendum q̄ Deus non debuit repa-  
rare humanā naturam, nec simpliciter, nec per talem mo-  
dum, s. per satisfactionē. Quod nō debuit simpliciter hu-  
manam naturā reparare, Patet sic, minus est reddere ali-  
cui aequiualens quā cōstituerē eum debitorem, sed nul-  
la persona imō nec totum genus humanū potest reddere  
Deo aequiualens, ergo multo minus potest eum cōstitue-  
re debitorē, nullo ergo debito obligationis tenetur Deus  
cuiuscūq̄ creaturę. Quod autē si velit reparare nō teneat-  
ur eam per satisfactionem reputare, sed possit absq̄ praē-  
iudicio iustitię eā sine satisfactione liberare, patet dupli-  
citer. Primo quia vbi nullus est iniustum patiens, nullus  
est iniustum faciēs. Sed si absq̄ satisfactione humana na-  
tura esset liberata à Deo nullus esset iniustum patiens, nō  
homo, quia nihil ab eo auferretur quod esset ei debitū,  
sed potius misericorditer cōferretur quod esset gratuitū,  
nec diabolus, quia nihil iuris poterat allegare in homi-  
nem per eum seductum, sed potius poterat per deum cul-  
pati, nec Deus, quia nullus patitur iniustū volens, vt ha-  
betur. 1. Ethic. ergo nullus esset iniustum faciēs. Secundo  
quia eadem ratione dona dantur gratis, & debita remit-  
tuntur. Sed quislibet potest absq̄ praēiudicio iustitię id  
quod suum est alteri dare gratis, ergo pari ratione potest  
culpam in se commissam alteri gratis remittere absq̄ satis-  
factione quacūq̄, nec est hoc cōtra debitum iustitię, sed  
est opus misericordiae, & si hoc potest homo, fortiori ra-  
tione Deus, sic igitur patet, q̄ loquendo de debito obli-  
gationis, Deus non debuit reparare humanam naturam,  
nec simpliciter, nec per talem modum.

q. sequenti.  
mon. 1.

5. Sed diceret aliquis q̄ hoc est verum cōsiderando na-  
turam rerum, sed secus est, cōsiderando promissum diui-  
num, quilibet enim obligatur ex promisso, Deus promi-  
serat & praenūtiauerat per os Prophetarū patri Christum  
suum vt repararet genus humanū vt habetur Act. 3. sicut  
ipsemet Saluator dicit Luc. 22. Filii quidem hominis se-

cundum quod diffinitum est vadit, & vlt. cap. Necessē est  
impleri omnia quę scripta sunt in lege & Prophetis, &  
psal. de me, ergo videtur q̄ Deus saltem ex promisso de-  
buit debito obligationis reparare genus humanum per  
viam satisfactionis. Et dicendum ad hoc q̄ verba scriptu-  
rę quę loquuntur de reparatione humanę naturę praordi-  
nata à Deo fieri tali vel tali modo, non infirmant promif-  
sionem aliquam ex parte dei, sed simplicem eius ordinā-  
tionem vel voluntatem de tali re fienda, vel modo facien-  
di. Et sic non est ibi aliquod debitū obligationis, sed sim-  
plex infirmatio diuine ordinationis.

6. Si autem loquamur de debito cōgruitatis, sic dicen-  
da sunt duo. Primum est quod congruum fuit naturā hu-  
manam per satisfactionē reparare. Secundū est quod con-  
gruum fuit eam reparari per satisfactionē factā per mor-  
tem Christi. Primū patet sic, nobilius & perfectius habe-  
tur aliquid cum merito quā cum habetur absq̄ merito  
(vt declaratum fuit supra dist. 18.) Quod autem recupe-  
ratur per satisfactionem recuperatur merito, & quod  
sine satisfactione absque merito, ergo nobilius & perfe-  
ctius recuperari potuit natura humana per satisfactio-  
nem quā sine, fuit autem congruum vt repararetur per  
Christum nobiliori modo quo decuit, ergo decuit q̄ re-  
paretur per satisfactionem.

7. Secundum patet sic, satisfactio pro omnibus natu-  
rę defectibus debuit fieri per poenam omnem defectū vir-  
tualiter continentem, sed poena virtualiter omnem defectū  
contingens est mors, quæ est finis terribilium, & ad  
quā omnes defectus naturæ tendunt, ergo satisfactio per  
quam humana natura reparata fuit ab omnibus naturæ  
defectibus debuit esse per poenam mortis.

8. Præter hoc autem sunt alie congruitates. Prima est  
quia per hoc homo cognoscit quantū Deus hominē dilē-  
gat & per hoc prouocatur ad eum diligendū in quo per-  
fectio humanæ salutis consistit, vnde Apost. dicit Rom. 5.  
commendat Deus suam charitatem in nobis, quoniam cū  
inimici essemus Christus pro nobis mortuus est. Secūda  
est, quia per hoc dedit nobis exemplum obedientiæ, & hu-  
militatis, cōstantiæ & aliarū virtutū in passione offensa-  
rū quæ sunt necessarię ad salutē humanā, vnde dicitur Pe-  
tri. 2. Christus passus est pro nobis, vobis relinquēs exem-  
plum vt seq̄, vest. eius. Tertia est, quia per hoc indita est  
homini maior necessitas vt conseruet se immunē à peccato  
secundū illud. 1. Cor. 6. Empti enim estis pretio magno  
glorificate deum in corpore vestro. Sunt etiā complures  
alie congruitates quas difficile est explicare.

9. Ad primum argumentum dicendum quod quauis  
diabolus secundum se iniuste hominē detineret & sic de-  
beret ab eo per potentiam liberari, tamen homo iuste de-  
tinebatur ab eo, quia in deum peccauerat quo iuste per-  
mittente diabolus detinebat hominem, & sic nō fuit per  
solam potentiam eripiendus, sed per satisfactionem con-  
gruam, vt Deo exhiberetur reuerentia contra quem com-  
missam fuerat culpa.

10. Ad secundū dicendum q̄ in opere nostrę reparatio-  
nis apparuit maximè diuina misericordia non obstante  
q̄ facta fuerit per modum satisfactionis, quia cum homo  
per se satisfacere nō posset pro peccato totius humanę na-  
turę modo quo postea dicitur, Deus satisfactorē dedit fi-  
lium suum, & hoc fuit abundantioris misericordię quā si  
peccata dimisisset absq̄ satisfactione.

QVÆSTIO SECUNDA.

Vtrum aliqua pura creatura potuerit satisfacere  
pro natura humana.

Tho. 3. q. 1. ar. 2. ad. 2.

**S**ecundo quaeritur, vtrum aliqua pura creatura potue-  
rit satisfacere pro natura humana. Et arguitur quod  
sic, quia bonum potentius est ad agēdum quā malum,  
quia malum agit virtute boni, vt dicit Dionysius. 4. cap.  
de Diuin. nom. sed vna pura creatura per malum actum  
potuit totam naturam humanā inficere, ergo multo for-  
tius per vnum bonū actum potuit pura creatura satisfacere  
pro tota humana natura.

2. Itē illud quod cōuenit Christo ratione solius huma-  
næ naturę potest competere puræ creaturę, quia humana  
natu



natura in Christo secundum se solam accepta est pura creatura, sed Christus ratione naturæ humanæ satisfecit pro tota humana natura: igitur &c. Probatio minoris, quia Christus satisfecit per passionem suam pro tota natura, sed Christus est passus pure & præcisè secundum humanam naturam & non secundum diuinam, ergo &c.

3 IN CONTRARIUM est quia qui debet pro se totum quod habet non potest pro alio satisfacere, sed qualibet creatura debet pro se totum quod habet, quia totum à deo accepit, ergo nulla creatura poterit pro alia satisfacere.

4 RESPONSIO. Sicut meritum est propter acquiritur præmiū, ut præmiū ipsum fiat debitum merenti, sic satisfactio pro peccato ordinatur ad tollendum vel soluendum debitum quod quis incurrit ex peccato, & illud debitum est reatus pœnæ, unde sicut prius distinctum fuit de merito, sic nunc distinguendum est de satisfactione. De merito autem de condigno distinctum fuit, nam quoddam est meritum de condigno non strictè & propriè simpliciter sumptum quod innititur solum valori operis, & non liberalitati alterius, & tale meritum est actio voluntaria propter quam alicui debetur merces ex iustitia, sic quod si non reddatur ille ad quem pertinet reddere iniustus facit, & est propriè & simpliciter iniustus, & tale meritum de condigno potest esse vnius hominis ad alium, sed non potest esse hominis ad deum ut ibi declaratum fuit, quia si pro quibuscunque bonis habitibus & actibus nostris Deus nihil amplius nobis redderet, non propter hoc esset iniustus, aliud est meritum de condigno largè sumptum in quo attenditur simul quædam dignitas seu quidam valor operis, & liberalis ordinatio dei de reddendo præmio pro tali opere, & hoc modo per opera facta ex charitate mere-mur de tali condigno vitam æternam, non solum propter valorem quem habet ex charitate, sed etiam propter gratuitam dei ordinationem, & tale meritum de condigno non est medium inter meritum de congruo simpliciter & de condigno simpliciter.

In. 1. d. 17. q. 2  
In. 2. d. 27. q. 2

5 Consimiliter distinguendum est de satisfactione condigna, quia aliqua satisfactio potest esse sufficiens & condigna dupliciter. Vno modo secundum æqualitatem quantitatis ad culpam commissam, ita quod ille qui iniuste alium offendit, si cum displicentia iniuriæ offerat talem satisfactionem iusticiam est, & offensus ab eo prius si talem satisfactionem non recipiat nec offensam remittit iniustus est, & hoc modo nullus potest satisfacere deo pro peccato mortali suo, vel alieno. Quod patet primo sic, facilius potest satisfacere homo homini quam deo, loquendo de satisfactione condigna simpliciter, quia plus obligatur homo deo quam homo homini, sed pro peccato pro quo aliquis meretur mortem corporalem infligendam sibi à Iudice Reip. nullus potest satisfacere de condigno simpliciter, ergo pro peccato pro quo quis meretur apud Deum mortem æternam nullus potest satisfacere de condigno simpliciter. Minor probatur, quia nihil temporale quod habeat homo potest esse æquale vitæ sue, & ideo si peccauit sic quod debeat vitam iuste amittere impossibile est ei reddere æquiuale vitæ sue. Secundo, quia propter peccatum mortale priuatur homo gratia, & incurrit debitum pœnæ æternæ, sed gratia non recuperatur, nec recuperari potest ex condigno per aliquod opus illius qui eam amisit, alioquin non esset gratia, nec pœna æterna recompensari potest in hac vita per aliam pœnam sibi æqualem, sed gratuito cõmutatur in contritione in pœnam temporalem, ergo nullus potest condignè & per æqualitatem satisfacere in hac vita pro peccato mortali suo, & multo minus pro alieno, ita ut Deus sit iniustus, si talem non acceptet satisfactionem nec remittat pœnam culpæ debitam, nec aliquis ut puto sentit vnquam oppositum.

6 Causa autem huius est, quia non minus obligamur deo ad satisfactionem ratione delicti commissi contra eius præceptum quam obligemur ei ad recompensationem ratione beneficii accepti, sed nullus potest reddere Deo aliquid condignè secundum æqualitatem quantitatis pro beneficiis ab ipso receptis, ut dicitur. 8. Ethic. & de se notum est (non enim reddimus nisi quod ab eo accepimus, & semper aliquid remanet, & quedam dum redduntur melius nostra efficiuntur, quia magis cedunt nobis ad meritum) ergo consimiliter nullus potest exhibere Deo satisfactionem condignam secundum æqualitatem quantitatis pro peccatis com-

missis ab eo, vel ab alio, & multo minus pro peccato originali quod est peccatum totius naturæ. Et si bene ponderetur causa assignata, non solum ipsa concludit quod pura creatura non possit hoc modo satisfacere, sed etiam quod nec Christus in quantum homo, vel ratione humanæ naturæ, quia Christus in quantum homo non potuit reddere Deo æquiuale beneficiis ab ipso acceptis quo ad omnia dona naturæ, & gratiæ vniuersis, & habitibus & gloriæ fructibus beate, quæ omnia ab instanti suæ conceptionis accepit à deo, & sic Christus in quantum homo non potuit pro seipso reddere æquiuale beneficiis à deo receptis. Et si ipse peccare potuisset & peccasset, non potuisset pro peccato suo deo satisfacere satisfactione condigna primo modo, & si non pro seipso, utique nec pro alio & maxime pro omnibus, quia non minus requiritur ad satisfaciendum pro aliis quam pro seipso cæteris paribus.

7 Alio modo dicitur aliqua satisfactio condigna secundum acceptationem illius cui fit & non simpliciter sicut prima. Propter quod respectu primæ potest dici de congruo, & hoc modo potest satisfacere deo de quocunque peccato, quia sicut inter hoies amicitia non semper requirit æquiuale, sed quod possibile est, sic deus qui prior dilexit nos non requirit à nobis recompensationem æqualem beneficiis, nec satisfactionem æqualem simpliciter pro peccatis, quia neutrum prædictorum est nobis possibile, sed acceptat id quod facere possumus, & hoc etiam æquale æqualiter. scilicet secundum proportionabilitatem, quia sicut se habet hoc quod deo est debitum ad ipsum deum, ita hoc quod facere potest homo ad ipsum hominem, unde & talem satisfactionem scriptura vocat dignam, Luc. 7. Facite fructus dignos pœnitentiæ.

8 De hac ergo satisfactione potest producere questio, utrum pura creatura poterit satisfacere pro tota natura humana. Erad huc distinguendum est, quia aut loquimur supposita dei ordinationi, aut absolute, si primo modo sic dicendum est quod nulla pura creatura potuit satisfacere pro natura humana, quia solus Christus ordinatur Deus redemptor & propitiator pro peccatis nostris, sicut dicitur Ro. 3. Iustificati gratis per gratiam ipsius, & per redemptionem que in Christo Iesu, que proposuit Deus propitiator per fidem in sanguine Christi, propter quod supposita ordinatione diuina per nullum alium quam per Christum satisfieri potuit pro natura humana, & eadem ratio est de omnibus que sunt præordinata à Deo, alioquin diuina præordinatio posset falli: si autem loquamur quod absolute fieri potuit, sic dicendum est quod Deus potuisset si voluisset reparare humanam naturam sine ulla satisfactione, & reparando per satisfactionem potuisset pro satisfactione acceptare opus puri hominis, ut Adæ pœnitentiæ vel alterius innocentiæ que creasset loquendo de potentia absoluta, nec fuisset in aliquo defectu modorum aliqua iniustitia, quæuis cõuenientiiori modo reparatio nostra facta fuisset per Christum. Quod enim alius modus fuerit deo possibilis nullus tam equè cõueniens, clarè dicit B. Aug. 13. de Trin. c. 10. sic, Ostendamus non alium modum possibilem deo defuisse, cuius potestati cõta æqualiter subiacent, sed sanæ nostre miseriam cõuenientiorem modum alium non fuisse, quod autem nulla fuisset iniustitia si deus absque quacunque satisfactione vel quatuordecim modica facta per Adæ pœnitentiæ, vel per alium purum hominem de quo deo placuisset reparasset genus humanum.

9 Probatur facillime sic, pari ratione est quod aliquis det alteri illud quod est suum, & quod remittat id quod est sibi debitum, sed quilibet potest absque præiudicio iustitiæ illud quod suum est alteri gratis dare, ergo pari ratione potest culpa contra se commissam, & pœnam culpæ debitam gratis remittere absque ulla satisfactione, vel cum quantumcumque modica. Nec hoc est contra iustitiæ, sed opus misericordie, & si hoc potest homo purus, fortiori ratione deus cuius misericordie non est numerus. Potuisset ergo deus de potentia absoluta (nisi aliud ordinasset) acceptare pro satisfactione sibi sufficiente pro peccato totius humani generis opus puri hominis Adæ, vel alterius de quo placuisset ei, ut sicut culpa Adæ redundauit in omnes quantum ad condensationem & iustitiam, sic eius pœnitentiæ redudasset in omnes quantum ad satisfactionem & reparationem ex misericordia dei, talis satisfactio nem acceptantis, & non ex solo debito operis, & sic quantum actus malus Adæ fuit demeritorius pro persona sua



sua & natura humana, tantum actus bonus eius vel alterius, de quo Deus ordinasset fuisset satisfactorius, non quidem de cōdigno simpliciter, sicut fuit demeritorius actus malus, sed de cōgruo vel de cōdigno secundū quid, ex misericordiam dei acceptantis qui potest omnem culpā remittere sine ulla satisfactione vel quantalucunq.

10 Veruntamen magis congruū fuit, ut reparatio humane nature fieret per Christum Deum & hominem q̄ per hominem purū ad erigendum spem nostrā & accendendum charitatē nostrā, cum consideramus deum tantū nos dilexisse, ut ipse immortalis existens nostrā mortalitatem propter nos assumeret, & per mortem suā nos ad immortalitatem reduceret, opus etiā aliquid dignitatis habet ratione agentis, quāuis principū actionis sit eiusdem speciei in aliis, sicut idem verbum dictū a sapiente maioris auctoritatis est q̄ dictum ab ignorante, cum igitur actio humane nature in Christo fuerit nō solum hominis, sed Dei tanquā suppositi agentis, cuiusdam amplioris dignitatis fuit ad satisfaciendum pro natura humana q̄ actio vel passio cuiuscunq; puri hominis.

11 Ad Argumenta vtriusque partis respondendum est. Ad primum cōm dicitur q̄ potentius bonum est ad agendum q̄ malum. Dicendum est q̄ respectu effectus positivi in naturalibus bonum est potentius q̄ malum, quia malum ut malum cum sit privatio nihil agit nisi virtute boni in quo est, & sic loquitur beatus Dionys. loquens de actionibus naturalibus, sed in moribus facilius est malū agere q̄ bene, ut apparet ex 2. Ethico. & ex mala actione possunt sequi plura mala quā ex bona actione sequetur bona secundum legem contra quam sit mala actio, & sic fuit in primo peccato, quia primus homo peccando privavit se, & totā posteritatem suā donis sibi datis pro se & posteritate si nō peccaret, sed nō fuit ei datum q̄ pro se & posteritate satisfacere posset, quāuis potuit ei dari.

12 Per idem patet ad secundum, quia de potentia absoluta potuit satisfieri de cōgruo pro tota natura per puram creaturā, nisi Deus aliud ordinasset, quod fuit melius & honorabilius pro nobis, ut dictum est.

13 ARGUMENTUM in oppositum solum probat quod pura creatura non potuit satisfacere pro tota natura satisfactione condigna simpliciter & proprie, quod concessum est.

DISTINCTIO XXI.  
Sententia huius distinctionis in generalis & specialis.

Post prædicta considerandum est. Superius determinavit Magister de his que Christus cum humana natura suscepit, scilicet de gratia & scientia, & de his que per naturam eius est operatus. de meritis ipsius. In parte ista determinat de morte eius quā suscepit in natura humana & diuiditur in duas. Primo determinat ea que ad mortem Christi pertinent. Secundo de his que consequuntur ad eā decimateria dist. Hic oritur questio. Prima est presentis lectionis. Et diuiditur in duas. Primo inquiritur vtrū mors fuerit in Christo per separationem diuinitatis à carne. Et secundo (supposito quod non) ostenditur qua ratione Christus dicatur mortuus ibi, recedente verò anima. Hæc est diuisio &c.

2 IN Speciali sic procedit, & primo proponit questionem vtrum in morte Christi fuerit deitas à carne separata, & dicit q̄ quidam dixerunt quod sicut caro in morte fuit separata ab anima, ita & à deitate, quod ostendit tali ratione, quando duo per medium vniuntur recedente medio recedit vnio, sed caro est vnita diuinitati Christi mediante anima, ergo recedente anima fuit caro à deitate separata, sed in morte Christi fuit anima à carne separata, aliā non fuisset vera mors que est in separatione anime à carne, ergo caro fuit separata à deitate. Deinde confirmat hanc opinionem per auctoritatem Ambr. tractantis illud Psal. Deus Deus meus vt quid dereliquisti me, qui dicit de Christo, clamat homo separatione deitatis moriturus. Ex alio videtur q̄ non potuisset aliter mori, nisi fuisset à carne diuinitas separata. Postea respondet Magister sic ad prædicta, si enim sic intelligitur derelictio per separationem diuinitatis quasi facta vnionis solutio tunc Christus adhuc viuens in cruce fuisset homo & nō

Deus, sed hoc est falsum, ergo in morte fuit deitas separata à carne. consequenter autem exponit verba Ambrosii dicens quod Deus pater dicitur Christū hominem dereliquisse ipsum exponendo potestati & dominio perfectum. vnde quoad hoc dicitur deitas separata per subtractionem protectionis & defensionis, nō autem per solutionem vnionis, & ideo separauit se diuinitas foris ad defensionem, sed intra non defuit ad vnionem, & hoc cōfirmat per figuram vet. test. de duobus hircis, quorū vnus in desertum mittebatur, alter immolabatur. per duos autem hircos intelliguntur in Christo duæ nature, quarum vna est tempore passionis immolata. s. humana, altera, id est, deitas in calum abiit, non loci mutatione, nec vnionis solutione, sed potius defensionis subtractione quousq; ipsius Christi passio consummaretur. Postea ponit auctoritatē cui innititur opinio contraria, & est Athanasii qui dicit quod iste homo fuit assumptus in resurrectione, quod verū non esset nisi diuinitas eum in morte reliquisset, & sic fuit deitas à carne separata. Postea respondet Magister q̄ totum hominē assumpsit in resurrectione, & totum deposuit in morte. Non tamen animā & carnem deposuit, & ideo pro eo auctoritas non facit. Postea dicit q̄ Athanas. hoc dicit contra quosdam hæreticos qui negabant Christum surrexisse, & animam non fuisse corpori vnitam, & concludit Magister sic veritatem, quod in morte separata est anima à carne propter quod verè dicitur mortuus, sed neutrum illorū separati est à verbo. Postea hanc veritatem per plures auctoritates confirmat. Addit etiam secundū Amb. q̄ Christus sponte tradidit seipsum. Vltimo dicit qua ratione Christus dicatur mortuus & passus: quia propter communicationē proprietatū de se inuicem propter vnionem in persona predicabiliū, sicut enim dicitur mortuus homo, quia caro est mortua, sic quia homo est mortuus, etiam Deus dicitur mortuus, & similiter Deus passus propter carnem & animam diuinitati vnita, quia vterq; dolorem sensit, diuinitas tamen expers doloris fuit, sic igitur dicitur mortuus & passus dei filius, quia caro vnita anime fuit passa & mortua. Et hoc cōfirmat per auctoritatē. Addit autē q̄ potest dici q̄ Deus mortuus est & nō mortuus est passus est & nō passus est, negatiue enim sunt verè secundū diuinitatem, affirmatiue secundum vnitatem. Et in hoc terminatur &c.

QUESTIO PRIMA.

Vtrum in morte Christi diuinitas fuerit separata ab humanitate.

Tho. 3. q. 50. ar. 2. q. 3.

Circa questionem istā queritur de duobus. Primum est vtrum in morte Christi diuinitas fuerit separata ab humanitate. Et arguitur quod non, quia illud quod conuenit alicui per gratiā nō amittitur nisi per culpam, sed vnio humanitatis Christi cum diuinitate fuit per gratiam & non per naturam, Christus autem nō contraxit, nec commisit aliquam culpam, ergo illa vnio nunquam fuit soluta.

2 Item humanitas resultat ex corpore & anima vnitis ad inuicem, sed in morte Christi corpus & anima remanserunt vnita vt probabitur, ergo & humanitas resultans ex eis. Probatio minoris, quia quæcunq; vni & eidē sunt eadem illa inter se sunt eadem, ergo similiter vt videtur quæcunq; vni & eidem sunt vnita inter se sunt vnita, sed corpus & anima Christi remanserunt vnita in morte eidem supposito diuino, ergo remanserunt vnita inter se.

3 IN CONTRARIUM arguitur, quia vera mors non est nisi per separationem anime à corpore, sed Christus fuit verè mortuus, ergo anima eius fuit verè separata à corpore, sed humanitas resultat solū ex anima & corpore vnitis ad inuicem, ergo per mortem Christi humanitas eius desit esse, & per consequens desit esse vnita diuinitati.

4 RESPONSIO. Differt cessatio vnionis & separatio vntorū. Cessat enim vnio aliquorū per desitionem alterius extremorū, sed non separantur proprie nisi quæ manēt postq̄ soluta est eorū vnio, vnde forma naturales aliæ